



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Decretvm XXX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

lario ipsis infervet; ad quem proinde omnes, tam Parochos, quam Ecclesiarum Provisores, recursum habere volumus.

## DECRETVM XXX.

**M**onentur omnes Religiosi, tam Patres Monialium, quam aliis in Parochiis constituti, ut in habitu & tonsura regulari semper incedant, minimeque se à regulis absolutos esse existiment; & Patres Monialium curen̄t, ut, singulis diebus Virgines Sacrum audiant. Volumus deinde, ut, servata Concilii Tridentini constitutione, ter in anno offerant Monialibus confidendi libertatem, iis Confessariis, quos Nos, aut Vicarius Noster, singulis Monasteriis designaverimus; qui singulas seorsim interrogent, & de confessione cum iisdem agant, ne ea, verecundia ducat, peccata aliqua reticeant. Monemus autem Superiores quoquinque, & hujusmodi Confessarios, ne Moniales dehortentur aut impe- diant; ne quandoque se alieni peccati aut sacrilegii participes reddant, & severam Deo reddere rationem cogantur, poenasque in Bullis Pontificum contra impedientes incurant.

## DECRETUM XXXI.

**A** Tque hæc sunt, quæ generaliter, pro hac vice, ordinanda duximus. Specialia, quæ ad uniuscujusque aut Ecclesiam aut personam, ex facta visitatione, comperimus spe- ciatore, singuli à Nobis expectabunt.

Lebris Decretis, moniti fuere omnes, qui in prima Synodali Sessione, prioribusque habitis Synodis, professionem fidei nondum præstiterant, ut eandem modo præsent. Cum vero deprehensum fuerit, eam ab omnibus jam præstitam esse; Illusterrimus signo dato, per Officialem, Synodum interrogari fecit, num adhuc aliquis quædam proponenda haberet. Omnibus vero tacentibus, Promotores Synodi, pro conclusione hujus, & inductione proximæ Synodi, institerunt; reliquaque omnia, ad normam, ordinem ac modum Synodi prioris quinque, peracta fuerunt; ipsamque Synodum proximam vernalem die quintæ mensis Martii, anni quinquagesimi secundi, habendam, indicetum fuit; ac proinde hæc præsens, cum benedictione, dimissa.

Et quia ego Ioannes Brogberen I. V. L. & Collegiatæ Ecclesiæ SS. Ioannis Baptiste & Euangelistæ Ratisbonæ Canonicus, & Pastor in Rimfloe, à supramemorato Reverendissimo & Illusterrimo Domino Præside in Actuarium hujus sacræ Synodi deputatus fui, Decretorum Synodalium promulgationi reliquisque in ea pertractatis interfui; idcirco iisdem Decretis, in fidem eorundem, propria manu subscripsi. Acta sunt hæc, anno à partu Virginio M D C L I; Pontificatus sanctissimi Domini nostri Innocentii X, septimo; diebus, mense, & loco, quibus supra; præsentibus Venerabilibus & Eruditis Dominis, Antonio Sollinger & Nicolao Schaberg, Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Vicariis, ac respectivè Sacristano & Notario publico, testibus, ad hoc specialiter requisitus, & fide dignis.

IOANNES BROGBEREN I. V. L. Capellanus major Illusterrimi Osnabrugensis, & Actuarius causarum Ecclesiasticarum, ad hoc specialiter requisitus, subscripsit.

DIOE-